



Continuatio in hoc libro

- 1 Disputationes 24. In Confessione Auguſt. Hutteni
- 2 Sadnel & unioſoſa nos diſp. 1.
- 3 Arieſocōs brevis de ſarō phyſicō ſuſu ni diſp. M. Fied. 3. Alduini
- 4 Diſp. de ſtō. ſcti tūm ſſora tūm officio. Hofmanni
- 5 Diſp. 1. de Coena Dni. eiq. dūm. aſſerēs tō pōtōy & mūhita
- 6 Diſp. 4. de Coena Dni. Hofmanni. ex cap. 1. Cor. 10. ^{ſcōp. & ſiſcōm}
- 7 De noticijs Dni & Volūtatij ipſius Hofmanni
- 8 Drey Vnterſchiedli ſchreiban an d. Conſiſtorium zu
Leyffig, vñz abſolūg. Sub Exorcismi
M. Georſij Leyſtanij

Geß

Sammelband

30

DISPUTATIO IIII.
DE

COENA DOMINI
ET POSTERIOR

ex I. Cor. 10. cap.

IN QVA CHRISTO AVSPICE,
præsidente DANIELE HOFMANNO
S. Th. D. & professore, respon-
debit

M. CASPARVS PFAFRADIVS,
in Academia Iulia Th. professor,

23. Augustianno 1593.




HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XCIII.

COENAE DOMINI
ET PASTORIS

IN OVA CHRISTO AVASTOR
MEDIAM ELLI HOFMANNI
S. Theodoricus die rpon
don

21. CASPARIUS PARRANDI
in hunc hunc hunc hunc hunc
24. Augustinus 1803



HEINRICH
Jacobus Jacobus Anno
M. D. XCIII

DISPUTATIO IIII.
DE COENA DOMINI
ex i. Cor. 10. cap.

I.

Nurbulento hoc seculo varijs distracti laboribus alijsq; doctioribus, prouinciam Sacramentarij belli cedentes, intermisimus quartam disputationem de S. Cæna promissam. Quia verò amici præstantes vrgent continuationem & Sacramentarij silentibus insultant tanquam victis, gratificandum est illis, & opprobrium veritati factum amoliendum.

II.

Ex interuallo igitur hoc certamen repetentes Dei Optimi Maximi auspicio pergemus probare, quod instituimus, nempe: Quod in his sacramentalibus locutionibus. (Panis S. Cænæ est corpus Christi & vinum eius Cænæ est sanguis Christi) neq; vocabulum vllum τὸ ῥητὸν mutet, neq; prædicationis modus vsitatis congruat, siue regularem & proprium, siue improrium, figuratum seu tropicum more scholarum appellemus.

III.

A 2

Non

Non repetemus ab ovo huc pertinentia, sed ex posteriori parte capitis decimi prioris epistolæ Paulinæ ad Corinthios, Colophonem adijcimus præmissis, & quidem agemus de hoc præcipuè testimonio: Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne est *κοινωνία* sanguinis Christi: & panis, quem frangimus, nonne est *κοινωνία* corporis Christi?

IIII.

Beza, Pezelius, Piscator inufitatum genus prædicationum extremè oderunt, euertere tamen omnibus suæ eruditionis viribus non potuerunt. Quod si & nos illud abijrecemus, proprium veræ Theologiæ, quod circa mysteria versatur, traderemus prophanis speculationibus abolendum.

V.

Sacræ autem sunt, itaq; longè grauiissimæ rationes, quare mysteria obseruemus. Debemus enim admirationem sapientiæ spiritus, quam Apostolus 1. Cor. 1. & 2. multis modis magnoq; labore à sapientia seculi huius discernit, etiamsi principum, hoc est, eruditione mundana omnis generis excellentissimorum, fuerit: Et hoc loco placuit

placuit Apostolo sic præfari: Vt sapientibus lo-
quor, iudicate vos, quod aio.

VI.

Hac admonitione excitati veteres orthodo-
xi ab ipsis vsq; vestigijs Apostolicis religione con-
stanti profecuti sunt Sacramenta tanquam secre-
ta & arcana Dei, & in hoc, quòd panis & vinum
mensę Dominicę *εὐχαριστία* & *εὐλογία* Iesu Christi, hoc
est, omnipotente creatrice virtute sint corpus &
sanguis Christi, cū admiratione substiterunt, sum-
mumq; miraculum, quod est in vnione personali
duarum naturarum Christi adorabile mysteri-
um, adduxerunt, ne quis modum sacramentalis
vnionis inter panem & corpus Christi in vsu cœ-
næ ad humanæ intelligentiæ planam & perspicu-
am rationem reuocaret.

VII.

His exemplis moti patres, præceptores &
collegæ nostri inusitatum genus prædicandi,
quod D. Philippus à scholasticis acceperat, & hi
ex commonitionibus piæ antiquitatis addidice-
rant, accommodarunt Sacramentalibus locu-
tionibus.

VIII.

Cum Pezelius mecum prima fundamenta

A 3

sub iij-

sub iisdem præceptoribus iaceret, iam tum illud docuerunt Victorinus' Strigelius, Cameraius, Hëmingius, quos secuti sunt Vitus VVinschemius senior, Heshufius, Chemnicus, Chytraus &c. Itaq; non sine magna autoritate quidam autores fuerunt, vt communis confessionis in Formula Concordiæ pars facta sit hæc doctrina: Sacramentales locutiones neq; proprias neq; figuratas vel tropicas, sed inusitati esse & inexplicabilis modi.

IX.

Quod igitur à Christi cunabulis laudatum fuit, nimirum admirari mysteriorum prædicationem, quodq; Paulus à prima sibi per Christum facta traditione dijudicatione sapientiæ, distinctæ à sapientia mundi, commendauit, & catholica Ecclesia nostriq; præceptores nostræ fidei custodiendum tradiderunt, id profiteri & asserere pietas iubet.

X.

Qui verò hoc studium nostrum improbant, si nostræ fuerint confessionis & Sacramentarios solide refutandos esse censuerint, haud rectè cognouerunt, in quo cardine voluatur controuersia,

sia, quam quomodocunq; inter eruditos tractes
& agites, nisi τὸ ρητὸν modo prædicationis irregulari
non aduersari euiceris, neq; tuæ, neq; aliorum di-
sceptantium conscientia satisfacies. Fiat peri-
culum.

XI.

Dolendum tamen est, doctrinam hanc tricis
inuolui & impertinentibus philosophationibus
Piscatoris & aliorum ampliari & obscurari, vnde
maior oriatur labor, quàm vt sustineri possit à
Theologis, præsertim alijs occupatis.

XII.

Monemus etiam iuuentutem, ne seducto-
rum inuitationibus in quæuis obuia ruat, seipsam
perplexitatibus irretiat, & inanibus contentioni-
bus fatiget, sed ductum hunc sequatur, vt quic-
quid vtrinq; dicatur, siue τὸ ρητὸν siue prædicatio-
nem spectet, id omne, non solum Grammaticè,
Dialecticè, Rhetoricè examinet, sed in primis
exigat ad hæc duo: 1. Num declarationi Christi &
Apostolicæ verbis singulis adhibitæ conueniat,
vel non. 2. Num mysterium seruet, vel non, vene-
retur, aut prophanet.

XIII.

Pezelius reuerentiam erga Melanchthonem
simu-

simulans, aliquando ad inusitatum genus prædicandi videtur nonnihil conuiuere, multos verò perturbat, quòd hoc tantum locutionibus de Filio Dei incarnato competere dicitur.

XIIII.

Peucerus eodem inclinare putatur, verùm si ad verba eius attendas, argumentũ proditur, quòd plures locutiones eò referri posse animaduertent. Sic enim in epistola ad Pezelium, quæ circumfertur, scribit: Inusitata καθ' ἑνωσιν ὑποστατικὴν vno & solo exemplo duarum naturarum in persona Christi constat, quam hîc (in locutionibus sacramentalibus) non habere locum non indiget disputatione.

XV.

Rectè dicitur: Sacramentalem locutionem non esse inusitatam καθ' ἑνωσιν ὑποστατικὴν. Sed cur non simpliciter negat Peucerus inusitatam, sed in locutionem in adiecto restringit? Quia videlicet conscientia reclamante non ausus fuit; & manifestum est, quòd qui negat aliquam propositionem esse inusitatam καθ' ἑνωσιν ὑποστατικὴν, non neget planè inusitatam seu ex genere ἐνώσεως.

XVI.

Non feremus leges Peucero vt seniori, quas tamen

tamen alijs tulit, iure sibi fixas statuet. Antagonistis, inquit, non sunt circumdatae illae metae, intra quas continere sese & respondere cogantur; sed disputatores se trahi patiuntur sophismate vno & altero ὑπερ τὰ ἐσκαμμένα nunc huc, nunc illuc, vnde oritur illa perpetua conflictationum vicissitudo.

XVII.

Agnoscamus mores disputatorum quorundam, sed vtra pars magis extra oleas saltet, quaeritur, & quidem de suis recte conqueritur Peuce-
rus, à nostris autem omnem euagandi causam esse, commentum est. Placet enim nobis, vt intra iustos limites vtrinque coërceamur, & quisque exploratis ictibus in aduersarium pugnare iubeatur.

XVIII.

Hoc vt fiat, vnicè nunc curandum fuerit, vt quisquis nos oppugnare voluerit, vel in genere vanum probet omnem prædicationem inusitatam à regulari & figurata seu tropica distinctam, vel quas examinamus prædicationes sacramentales, per figuram vel tropum ad regulares reducat, nulla facta iniuria vlli voci vel sen-

B

tentiæ

rentiæ à Christo vel Apostolo declaratæ, sed per omnia saluatis omnibus, quæ in tabulis Apostolicis, vbi sedes est huius doctrinæ, asseruntur.

XIX.

Nos qui dicta vestigia orthodoxorum maiorum legimus, nihil hîc disputamus de permutationibus, vbi aliud pro alio ponitur, quod figuratè fieri non est dubium, sed de prædicationibus agimus, in quibus vnum de altero dicitur.

XX.

Neq; concedimus, quod in eo sit sacramentalis ratio, quod figura vel tropo explicatur, cum sacramentale definiamus, quod sit mysticum, arcanum, inexplicabile.

XXI.

Remouemus igitur à sana nostratum doctrina, quod generalis modus sacramentalium locutionum fingitur, cum Sacramentum cum re Sacramenti figuratè permutatur.

XXII.

Studiose etiam fugimus, si quis signi vocabulo conditionem & naturam Sacramenti huius describi putet. Est sanè signi quædam ratio admittenda, sed nequaquam illa Sacramenti naturam describit, sed cum hîc panis & corpus Christi my-

sti my-

sti mysticè & ineffabiliter vniantur, hoc ipsum
mysterium appellatur, cui accedit vulgaris & hu-
mano intellectui plana ratio, vt præter & post ar-
canum illud seu mysterium, panis ille corporis
signum dicatur.

XXIII.

Multò minus substantiam Sacramenti huius
in solo signo, distincto à signato, constituimus,
sed vt Sacramentum Cænæ integrum sit substan-
tia, panem seu signum & corpus Christi seu si-
gnatum coniunctim dari oportet, non tantum
per modum coniunctionis signandi, qui profa-
nis rebus communis est, sed in primis & secun-
dum intimam naturam huius mysterij per mo-
dum arcanæ vnionis rerum, quæ signa & signata
vocantur.

XXIIII.

Atq; sic fructum sacræ Cænæ negamus rem
signatam, ne fructum ad constitutionem Sacra-
menti accersamus, sicut ad integritatem rationis
signandi signum & signatum necessariò requiri-
tur. In nudis verò symbolis, sequestrata re signa-
ta, ne quidem signi natura integra fuerit, multò
minus Sacramenti quod in mystica & impertrcu-

tabili est vnione, ordinatâ non ad conficiendum
signum seu partem Sacramenti, sed ad constitu-
endum totum quod ex signi & signati admiran-
da coniunctione resultat.

XXV.

Sunt & alia huiusmodi, quæ nostra non a-
gnosimus, nec veritati fraudi esse debent, à quo-
cunq; etiam confingantur.

XXVI.

Accedimus ad testimonium Apostoli, ex quo
ea petemus, quæ *περι τῆς φητῆς* deq; inusitata prædica-
tione in locutionibus Christi sacramentalibus
proposuimus. Et quidem in initio compendio nos
iuuat Calvinus, & Beza, qui concedunt Aposto-
lum hac oratione: poculum, cui benedici-
mus &c. voluisse repetere mentem Domini de
benedictis & distributis symbolis dicentis: Hoc
est corpus meum, Hoc est sanguis meus.

XXVII.

Meminit Apostolus benedictionis & fractio-
nis seu distributionis, vt actionem huius Sacra-
menti integram notaret, quæ non solum confe-
ratione symbolorum, sed etiam illorum sum-
ptione seu manducatione & bibitione peragitur.

XXVIII.

Hæc

Hæc apostolica obseruatio confirmat regulam: Nihil habet rationem Sacramenti extra usum, externum scilicet & Sacramentalem.

XXIX

Poculum benedictionis appellat propter *εὐλογίαν* instituentis hoc Sacramentum Christi. Addit autem, cui benedicimus, intentus ad tabulam institutionis, vbi Christus, qui benedixerat pani & vino, inquit: Hoc facite: Idcirco benedictio ministri, iubente Domino facta, virtute Verbi iubentis & ordinationi inuigilantis, efficax creditur.

XXX.

Caluinus calicem benedictionis interpretatur, qui destinatus sit ad mysticam *εὐλογίαν*, quam constituit in celebratione mortis Domini, ad quam fideles conueniunt. Immemor autem sensus huius, ibidem negat se assentiri ijs, qui per benedictionem gratiarum actionem intelligunt.

XXXI.

Beza morositatem hanc Caluini sibi contradicentis deserit, & gratiarum actionem in hac *εὐλογία* agnoscit, sensum autem ad finem & usum spirituales similiter reuocat, cum tamen mani-

festum sit, agi de benedictione, quæ facit, vt panis sit corpus Christi, & vinum sanguis Christi.

XXXII.

Manifestum dicimus, quod ne quidem Calvinus negare potuit, benedicere hîc significare, consecrare in hunc vsum, vt vinum sit sanguis Christi. Etsi enim modum significatiuum inspergit, vt realem præsentiam sanguinis Christi cum symbolo declinet: tamen hoc nunc tenemus, benedictioni illi tribuendum esse hunc effectum, vt sit quod Christus dixit, Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus.

XXXIII.

Diligenter verò notandum est, quod reliquum (o) elementis benedici commonet, quodq; inde fit, quod panis dicatur esse corpus Christi. Hinc vero refutatur Pezelius cum socijs, nolens, quòd corpus Christi propter panem & sanguis Christi propter vinum adsit. Sanè non adest propter panem, vt propter hominem adest, attamen pani vnitum sacramentaliter corpus, itaq; antecedenter propter panem, consequenter propter hominem, seu, vt iuxta hunc locum Pauli loquamur, adest pani, vt cum pane communicetur sumentis homini. Sed

XXXIII.

Sed de his aliâs, nunc de subiectis locutionum Pauli agendum. Benedictionem igitur hîc accipimus consecrationem elementorum, sicut etiam Beza *εὐλογεῖν* pro *ἀγιάζειν* & *καθιερεῖν* hîc accipit.

XXXV.

Fractionem panis hîc intelligimus, quam Dominus distributionis gratiâ adhibuit, vt eodem recidat sensus, siue dicas: Panis quem frangimus: siue ad exemplum verborum institutionis: Panis quem fractum damus accipiendum, comedendum, seu quem ad vsum à Christo institutum, nimirum sacramentalem, qui est manducatio, distribuimus.

XXXVI.

Varias hoc loco quæsitâs ab aduersarijs elusiones concessione veræ sententiæ, quam Caluino perspicuitas sermonis Apostolici extorsit, præcidimus. Probè enim obseruauit & vrgendum monuit Illyricus in suis demonstrationibus, quod Caluinus Instit. lib. 4. cap. 17. sect. 10. scripsit, fractionem, porrectionem, participationem panis esse propositionis Paulinæ subiectum.

XXXVII.

Qui fractionem panis in particulas ita ritum
sacra-

sacramentalem faciunt, vt cum pani ante actio-
nem sacramenti fracto, benedicitur, ceremoni-
am sacram mutilatam putent, illi nimium sapi-
unt.

XXXVIII.

Non enim fractus est à Christo panis, vt sym-
bolicè λόγον sacramenti præstaret, itaq; sine illa ra-
tio sacramentalis cessaret, vel non esset integra,
sed vt inter multos posset distribui.

XXXIX.

Nisi enim distributio fractionem postulasset,
tam de pane taceretur fractio, quàm de vino fu-
sio. Aut si fractio panis ordinatur ad Sacramenti
perfectionem, imperfecta eius ratio relicta fue-
rit in vino, non similiter singulis ante sumptio-
nem seu bibitionem fuso, vt panis fractus est an-
te manducationem.

XI.

Veretur Beza, ne distributionis & communi-
cationis significatum indignantibus Grammati-
cis largiatur vocabulo κοινωιδας. Vtinam religione
non minore reuereretur linguam Apostoli.

XLI

Ego, inquit, proprietatem vocis secutus per
κοινωνίαν ipsam cum Christo consociationem nota-
ri malo.

ri malo. Quæ verò est illa ptoprietas, quam rei admirandè mysticæ conuenire putat, qui aliàs modos essendi cum ipso Esse commiscens, ea, quæ vsitatum modum non seruant, tropicè accipit?

XLII.

Sic enim in tabula Institutionis testamentariæ verbum; λάβετε, ait omnino de manus prehensione intelligi, quoniam propria sit eius significatio tenenda. Apello hic omnes peritos linguæ Græcæ, vt vel testimonium perhibeant, vel iudicium ferant, num verbi λαμβάνειν proprietate certi organi & modi designatio veniat.

XLIII.

Hæc verò est vna ex præcipuis nostris querelis, quòd aduersarij tot annos disceptationi περί τῆς ῥητῆς insumentes, inter propria significata verborum & modos, quibus se illa quasi genera speciebus accommodant, non discernant.

XLIII.

Scribere aliquis dicitur propriè, siue calamo in charta, siue stylo in cera, siue creta in tabula, siue digito in puluere scripturam exaret, siueq; dextra vel sinistra id agat, vt sic non sit necesse instrumentis vel modis actionum mutatis τὸ ῥητὸν

C

verbo-

verborum, actiones generaliter notantium, mutare.

XLV.

Lucæ ii. Christus inquit, *πᾶς ὁ ἀιτων λαμβάνει.* Quanta verò diuersitas bonorum, quæ petuntur & accipiuntur, corporaliter vel spiritualiter, quibus tamen omnibus vno generali vsu aptatur verbum *λαμβάνειν*? Quod si verò modo mutato proprietas desinit, quomodo permanet illa in voce (*κοινωνία*) si aptetur modo inexplicabili?

XLVI.

Passiue, inquit, *κοινωνία*, actiue *κοινωνησις* accipitur: Ergo non significabit *κοινωνία* distributionem & communicationem corporis Christi cum pane, sed communionem & societatem cum corpore Christi. Si necessitatem & exemplum talis discriminis attulerit, aliquid dixerit.

XLVII.

Interim retinemus, quod non solum vetus versio, sed etiam Erasmus & post ipsum Caluinus *κοινωνία* reddiderunt communicationem. Imò Beza in quæstionibus suis adhuc sic loquitur. Et Camerarius excellenti cognitione linguæ Græcæ clarissimus, hunc sensum agnouit ac reddidit.

Рочу-

Poculum illud communicat nobiscum sanguinem Christi, & manducatio panis huius communicat nobiscum corpus Christi.

XLVIII.

Quid, quod Apostolus Rom. 15. sic loquatur, *κοινωνίαν τῆνὰ πνιήσεσθε εἰς τῆς πτωχῆς?* Erasmus & Calvinus ad verbum sic interpretantur; communicationem aliquam facere in pauperes.

XLIX

An non *κοινωνία ἰδιωμάτων* in locutionibus de Christo proprietatem vnius naturæ de concreto alterius prædicantibus, est communicatio & *ἀντιδόσεως* nomine aliquando vocatur? Sed fortè illi imperitius locuti sunt cum Apostolo, vt laudem præ illis reportet Beza.

L.

Græcatur etiam hoc modo: *μετέχει* est recipientium partem, & de symbolis accipiendum: *κοινωνεῖν* est recipientium totum commune, & de signatis intelligendum. Vidit se refutari hoc ipso in loco versu 18. & 20. & tamen secum continere non potuit argutum inuentum.

LI.

Peritos linguæ rogamus, vt nos doceant, quemadmodum particula *μετά* sua propria signifi-

catione non sit apta communioni Totius, quæ uē
necessitas cogat partitionem seu sectionem in
partes intelligere? Item quid possessionem To-
tius in voce *κοινωνίας* necessariò constituat?

LII.

An non propriè τὰ τῶν φίλων κοινὰ dicuntur, non
quod vnus vel singuli sibi totum vendicent, sed
quia de alterius bonis amico participare liceat?
Acto. 2. illa *κοινωνία* partitione declaratur.

LIII.

Heb. 2. tum *κοινωνεῖν* tum *μετέχειν* de communio-
ne naturæ humanæ inter homines & Christum
vsurpantur, & quidem addita voce, *παραπλησίως*, ne
discrimini loc⁹ esset. Ac ne de Chrysofomi patro-
cinio aliquis gloriatur, ascribem⁹ ex cōmentarijs
eius super I. Cor. 10. quæ τὸ μετέχειν de symbolis vsur-
pent: τὸ τὸ ἐν ποτηρίῳ ὄν, ἐκείνο ἐστὶ τὸ ἀπὸ τῆς πλεῦρας ρεῦσαν καὶ
ἐκεῖν, μετέχομεν.

LIII.

Hinc iudicari potest de Bezæ temeritate, qua
confidenter ita scripsit: Vbi de ipso corpore &
sanguine Domini, siue de re ipsa sacramenti agi-
tur, necessariò in eas angustias compelleris, vt si
Lutheri regulam mordicus tueri velis, statuentis
de corpore & sanguine Christi propriè dici quic-
quid

quid de illo pane dicitur, vel tibi sit ostenden-
dum, frustulatim quoq; fractum Christum singu-
lis accedentibus distribui, vel agnoscenda sit no-
stra sacramentalis metonymia.

L V.

Neutro eorum, quæ Beza proposuit, angimur. Proprietas enim verbi *μετέχειν* etymologica partitionem in frusta non postulat, nedum necessariò. Nec, si in verbo (distribuere) argutari ipsi licuerit, necessitate urgebimur. Nam & ea distribuuntur, quæ sine sui partitione tota singulorum fiunt, veluti cùm Spiritus sancti *μερισμὸς* appellatur Ebr. 2. Etsi enim in donis est partitio, ipse Spiritus tamen impartibiliter singulis donatur, sicut in die Pentecostes sedit super singulos Act. 2.

L VI.

Fallit autem Beza confundens has locutiones: Aliquid propriè acceptum de alio dici. Et: Aliquid de alio propriè dici. Alia siquidem est propria significatio, alia propria attributio. Illa rem spectat, hæc modum regularem indicat prædicationis.

L VII.

Porrecto igitur pane porrigitur corpus Christi in S. Cœna, porrigendi propria significatione

C 3

in neu-

in neutro mutata, etsi panis modo vulgari, corpus Christi modo mystico porrigatur.

LVIII.

Qui deniq; exagitant locutionem Lutheri, quòd cum pane adsit & sumatur corpus Christi, illi vim vocum *κοινωνίας* & *μετοχῆς* vel ignorant, vel malitiosè criminantur, cum vtraq; vox sensum simultaneæ distributionis & sumtionis unitarum rerum promptissimè offerat.

LIX.

Prædicatum igitur est porrectio & participatio corporis Christi. Connexio subiecti & prædicati est in simultanea ratione, qua panis cum corpore Christi manducatur & vinum cum sanguine Christi bibitur.

LX.

Propter certitudinem dictorum Formula Consensus VVitebergensis anni 36. sic habet; Sentiunt & docent cum pane & vino verè & supernaturaliter adesse, exhiberi & sumi corpus & sanguinem Christi. Concedunt sacramentali vnione panem esse corpus Christi, hoc est, sentiunt porrecto pane simul adesse & verè exhiberi corpus Christi.

LXI.

Buce-

Buzerus in declaratione Formulæ Argentinæ coram multis fratribus edita sic loquitur: Ne videremur non satis planè agnoscere, sacramentum hoc esse communicationem corporis & sanguinis Domini, vt illud Paulus vocat, & verba Domini, Accipite & manducate, hoc est corpus meum &c. solidè credere, vnionem & exhibitionem sacramentalem voluimus iterum solidè exprimere. Vnde positum est, porrecto pane, verè perrigi corpus Domini &c.

LXII.

Sit igitur hoc fixum, prædicationes Apostolice esse: distributio, porrectio, sumptio, manducatio panis Christi, est simultanea distributio, porrectio, sumptio, manducatio corporis Christi &c: Caluinus in Instit. hoc sermone vtitur: Accepto pane non minus corpus etiam ipsum nobis dari confidimus.

LXIII.

Illa verò sic recepta symbolica meraq; significatiua opinione rursus interuertit, quantumuis contra nudam figuram seriò protestari videri velit.

LXIII.

Ad propositum igitur nostrum, quo isti peruersi-

ueritati occurrere constituimus, accedentes, probabimus, testimonio Apostoli assertam hanc Doctrinam nostram constare: Quod in datis sacramentalibus locutionibus & τὸ ρητὸν verborum tenendum & inusitatus attributionis modus seruandus, neq; iuxta Cinglij, Oecolampadij, Caluini, Beza, Pezelij, Peuceri opiniones, licet discrepantes, siue in prædicato siue in copula tropus modusq; prædicationis tropicus admittendus sit.

LXV.

De pane & vino, seu subiectis κατὰ τὸ ρητὸν & secundum propriam natiuamq; significationem accipiendis nominati aduersarij consentiunt, etsi quidam illorum sociorum de ijsdem aliquando luserint.

LXVI.

Vocabula (corpus & sanguis Christi) quia hic naturale illud & essenziale corpus Christi, itemq; naturalem illum & essentialem sanguinem Christi significant, secundum quæ Dominus nobis consubstantialis fuit & mansit, quæq; pro nobis tradidit & effudit, nulla est dubitandi causa, & tamen quorundam temeritas

ritas corpus Christi de Ecclesia hoc loco expo-
suit.

LXVII

Species interpretationi obducitur ex versu se-
quente: vnus panis, vnum corpus multi sumus.
Quasi verò quia vsu ministerij verbi & sacramen-
torum corpus Ecclesiæ colligitur, neganda sit sa-
cramento communicatio Christi. Talis enim est
allegantis argutatio: Sacramento Cænæ congre-
gatur corpus Christi, quod est Ecclesia. Ergo
cum Apostolus inquit: Panis, quem frangimus, est
κοινωνία corporis Christi, Ecclesia & non essentielle
corpus Christi accipiendum est.

LXVIII.

Etsi etiam *κοινωνία* in voce corpus locum ha-
bet, turpe tamen est, appellationem sanguinis
Christi isti vsui nullatenus aptam istos homines
ab errore tam manifesto non absterruisse. *το ἔνθεν* e-
tiam in adiectis exhibetur, cum incidentibus fi-
guris explicatis oratio sic formatur: Panis com-
municatio est communicatio corporis Christi.

LXIX.

Quod in subiecto poculum pro vino ponitur,
per metonymiam fieri largimur. Sic Fractionem
metalepticè pro distributione accipi non negabi-

D

mus,

mus. Sublatis verò figuris & subiectis proprio sermone datis, τὸ εἶπεν ἢ tum in subiectis tum in prædicatis consistit.

LXX.

Copulam seu verbum (Est) sic quoq; propriam significationem retinere certum est, cum vtriusq; communicationem in vnum colligat actum, eiusq; respectu distributio panis dicatur esse distributio corporis Christi.

LXXI.

Sed qualis prædicatio? Respondemus: Inusitata, hoc est, neq; regularis, neq; tropica, sed mystica atq; arcano sacro accommodanda.

LXXII.

Beza tropicam locutionem statuit, sed sibi hoc postulat concedi, effectum tribui suæ causæ, subseruienti scilicet & instrumentali.

LXXIII.

Fatemur, panem esse medium, per quod datur in S. Cæna corpus Christi, sed quale medium sit, quæritur? Tale verò dicimus, cui resexhibenda coniuncta est, non modo quodam huius seculi, sed imperscrutabili mystico.

LXXIIII.

Iam si locutiones hac de re fiant mysterij modo a-

do aptatae, parum est, si in qualitate earum censenda instrumenti ratio habeatur, nisi ad rationem eius specificam attenderis.

LXXV.

Cum igitur dicitur: Panis est corpus Christi, non solum panis ut instrumentum, sed in primis ut tale medium consideratur, quod admirando modo illud sibi unitum habeat, cuius distribuendi medium ordinatum est diuinitus.

LXXVI.

Magis verò hoc obseruandum est, cum praedicatio simultaneam rerum porrectionem enunciat propter unionem earum mysticam.

LXXVII.

Hoc negligens Beza, sermonem Paulinum: Panis quem frangimus, est communicatio corporis Christi, sic deprauat; Hic panis est communicatio corporis Christi.

LXXVIII.

Cui verò non liquet, panem illum & panis fractionem non esse idem, ut nec unio & unitorum simultanea preceptio idem sunt? Intelligimus autem fraudis finem, ut videlicet istius torture adigentis ad refugium figuratarum, causam inferret orationi, qua *κοινωνία* corporis Christi de pane

D 2

citra

citra distributionis in pane respectum prædicetur.

LXXIX.

Si vrsferit, Instrumentalem rationem in pane non cessare, non quidem id negamus; attendendum tamen est, quod oratio Paulina, quam meditamur, proximè spectat & enunciat sumptionem, atq; hîc quæri, quo modo sumptio corporis Christi, de sumptione panis illius prædicetur.

LXXX.

Non congruit, quod Beza effectum suæ causæ tribui dicit, quia actus simultaneus, qui hîc spectatur, colligit & recipit vtrunq; causaq; est vnius prædicati de altero, non quia vnum sit causa, alterum effectus, sed quia alterum vnitum sine altero non sumatur, verum hoc coniunctim fieri oporteat.

LXXXI.

Animaduertisse hoc Beza videtur, quoniam declinat in prædicato sumptionem Sacramentalem, & spiritualem societatis fidelium cum Christo, hoc est, fructum & effectum sacramenti substituit, vt ita effectus quandam imaginationem ingerat & relationem huius ad causam.

LXXXII.

Quam

Quàm intempestiua autē hīc fit & iniqua illa permutatio sacramentalis & spiritualis sumptionis, postea dicemus, nunc probè notare & expendere oportet, num sit effectus de sua causa prædicatio, quòd corporis Christi sumptio de sumptione panis prædicatur simultanei actus gratia ?

LXXXIII.

Certè sicut vnita ad vnionem suam se non habent vt causa instrumentalis atq; effectus: ita cum spectatur, quod sumto vno sumatur alterum, non intenditur eius causæ & effectus relatio. Multò ineptius est, quod metalepsis, hoc est, effectus pro causa positio attributo defertur.

LXXXIIII.

In primis verò de Beza & huius asseclis conquerimur, quod à mysterij, hoc est, sancti arcani scopo perpetuò deflectat ne in ipso hæerere deprehendantur. Sic ipsis non alia est locutionis ratio in Paulo cum ait, sumptionem panis esse sumptionem corporis Christi: quàm si dixerimus: motum currus esse motum infidentis.

LXXXV.

Vobis, inquiunt, alterius modi est sumptio panis, alterius sumptio corporis Christi. Ergo di-

D 3

spara-

sparata de disparatis prædicantur, itaq; impropria fuerit locutio saluanda per tropum.

LXXXVI.

Modorum sanè distinctionem accuratè teneamus, sed & hoc obseruandum fuerit, non simpliciter prædicari disparata de disparatis, sed spectari, quòd vnita sint & simultaneo actu disparatæ sumptiones coëant.

LXXXVII.

Iam in prædicatione (motus currus est motus infidentis) philosophetur, qui velit, vt tropo, quod dici viderit, exponat: In Paulina verò locutione simultanea ratio, quæ est causa vnius de altero prædicati, modi est non vulgaris & humanæ menti perspicui, sed mystici & inexplicabilis. Hunc nisi attigerit & expresserit explicatio à nucleo remota in cortice saltem vt hæserit, oportet.

LXXXVIII.

Impossibile etiam est, tropo commodè illigare & per eum explicare, quod quale sit & explicari debeat, ignoremus.

LXXXIX.

Cum Paulus inquit: Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi, non solum diuersas participationes rerum disparatarum de se mu-

se mutuò prædicat, & quidem propter simultaneam vtriusq; perceptionem, sed etiam propter modum simultanei actus mysticum.

LXXX.

Quis verò nobis rationis mysticè vnitorum explicator fuerit, vt cum secundum mysticæ conjunctionis modum, vnum dicatur esse alterum, modus essendi inexplicabilis per tropum declaratur?

LXXXI.

Hoc est quod hîc postulamus, quodq; de oratione Christi, Panis est corpus meum, similiter efflagitauimus. Sicut enim panis modo arcano & ineffabili est corpus Christi, ita panis sumtio, cuius causa panis & corpus mysticè vnita sunt, analogo modo est sumtio corporis Christi.

LXXXII.

Manifestum igitur est orationem Paulinam, non esse tropicam, ideoq; non arguere illam Christi similiter tropicam, id quod Beza putauit cuius processu vtimur sic decernentes: Cum Paulina inusitata sit, erit & Christi inusitata.

LXXXIII.

Firmior etiam est nostra conclusio, quàm Bezae. Non enim est necesse, vt figurata oratio istam,

stam, quam exponit, figuratam reddat, cum etiam propriarum sensus figurata locutione profertur. Hoc verò necesse est, ut quæuis oratio modum mysterij attributione referens mystica & inusitata sit.

LXXXIII.

Hoc ut seruemus monuit Paulus, tum quia aduocauit à sapientia huius seculi diuersissimam, tum quia benedictionis inculcando meminit.

LXXXV.

Hic, si numero testium Ecclesiasticorum certandum fuerit, omnes Antiquitatis orthodoxæ patres benedictionem hoc loco admirantes à nostris stare partibus probabimus, hoc vno per aliquot secula continuati consensus deducto, quod benedictione Christi fieri dicant, ut panis sit corpus ipsius, hocq; effectum opus celebrent creatoris potentia factum, creatoremq; arguens.

LXXXVI.

Mutationis vocabulo frequentissimè vtuntur, nec tamen vel panis, vel corporis Christi abolitionem aut mutationem innuunt, sed vt eo, quod panis dicitur esse corpus Christi in vnione sacramentali, modum mutati ordinis naturalis, vel huius negationem designari commonerent. Vim

LXXXVII.

Vim grauiſſimorum teſtimoniorum ſenſit Beza, quando in ſuis annotationibus ad nouum Teſtamentum poſtremis cap. 26. Matt. v. 26. ſic aſcribit: Panem & vinum in ſacra illa actione qualitate mutari, cum fiant corporis & ſanguinis Chriſti ſymbola.

LXXXVIII.

Nos quidem mutationem veteribus admirandam in myſtica vnione rei terrenæ & cæleſtis, prædicare non ceſſamus, verum vt determinationem ſubſtantię, iuxta Pontificios, vel qualitatis, iuxta Bezam aſſuamus myſterij obſeruatione diſſuadet.

LXXXIX.

Quod ſi etiam ſignorum naturam qualitatem illam Beza definiert, ſicut tandem illo ſe proripit, ludit homo vel qualitatis latã ſignificatione vel eius cum relatione confuſione. Et quid tum mutationi propria creatoris potentia effectæ dabitur, vt respondeatur religioni primitiue Eccleſiæ ſecundum benedictionis Dominicæ Euan- gelicam & Apoſtolicam celebrationem?

C.

Miramur igitur, quare excanduerit Peucerus,

E

vt iſtis

vt istis lectis ad Pezelium scripserit: Legi nuper in Commentario Reuer. D: Bezæ super N. Testamentum in historia institutionis Cænæ; panem & vinum in Cæna qualitate mutari, quia fiant symbola, si qualitate mutantur quid disputat cum Iacobo Andreae, qui nihil aliud vrget, quàm quod Pontificium prorsus est?

C I.

Reddat hic nobis censuræ istius rationem, quicumq; nouorum ἐνθυμημάτων nobis absconditorum conscius est, aliàs in vtraq; parte Peuceri iudicium vehementer laborabit. Tantum enim discrimen est inter sententiam Bezæ & Pontificiam, quantum esse potest inter ea, quæ in mundo fiunt. Differunt enim sicut speculatio & essentia rei.

C II.

Calumnia quoq; manifesta est, quod Iacobo Andreae Pontificium figmentum tribuit, vnde æstimare licet, qua scientia vel conscientia Peucerus & Pezelius D. Luthero subscribentibus idem commentum exprobrent.

C III.

Conijciat, qui volet, quid Beza Peucero responsurus sit. Sic enim Peucerus pro sua prætoriam au-

ria auctoritate contra Bezam & Pezelium, quos non minus errare dicit, quàm Lutherum. Omne illud, inquit, inde oritur, quod non rectè intelligunt præsentiam in ministerio.

CIIII.

Haud dubiè mutuam muli scabent, aliàs Cumanum hoc foret iudicium, si nostrum esset. Sed ne parum ille censor sapere videatur, ex abundante addit aduersatiuam: Nec substantiâ nec qualitatibus fit mutatio, nisi impressionem accidentariam fingere velimus, qualis est caloris ab igne in aquam frigidam.

CV.

Si alius à Calvinismo planè alienus hæc scripsisset, vel Pezelius dictatori obijceret, ipsi curtam esse supellectilem physicam, quoniam præter accidentariam illam impressionem qualitatis mutationem nullam nouit. Atqui istis qualibuscunq; fratribus, modò Luthero se sapientiores iactent, quæuis nugationes laudi dantur.

CVI.

Quæ verò sit ista sapientia, audiamus Lutherani & Pontificij (scribit Peucerus) fingunt præsentiam carnis in pane & per vsum panis in homine. Prior in pane antiquitati puriori ignotif-

E 2

fima

fima est, siue physica & materialis, siue miracu-
losa, siue hyperphysica, siue magica statuatur sub-
stantia aut viribus. Altera per vsum panis in
homine secundum eosdem modos omnes pari-
ter ignota prorsus est Ecclesiae purae.

CVII.

Arrige aures, qui negas, Peucerum cum suis
esse hostem Lutheranae confessionis. Deinde
nota, quod in, vel sub, vel cum pane (Lutherani
enim piae modestiae gratia, ne modum definire
videantur, illas particulas permutant) non so-
lum praesentiam physicam Capernaitarum, vel
magicam Pontificiorum negant, à quibus Luthe-
rus prior Peucero dissensit, sed etiam admirandè
mysticam *καρσίαν* tollit. Quicquid igitur de prae-
sentia aliàs garriat, vt simpliciores dementet, me-
rus lusus est.

CVIII.

Sacramentalis, inquit, praesentia alia non est,
quàm praesentia pacti ordinis & instituti diuini, ex
analogia signi ad significatum. Iam pius lector
dijudicet: Si nihil miraculi interuenit, nihilq;
supernaturale operatur conditor sacramenti,
tum institutio erit ordinis naturae, & pacto huma-
no non

no non dissimilis. Hæc verò est illa prophanitas,
quam D. Melanchthon semper execrabatur,
itaq; in suum focerum & præceptorem Peucerus
stylum acuit.

CIX.

Tuetur se Antiquitatis ignorantia, & verum
diceret, si Antiquitatis sententiam sibi vel igno-
tam, vel affectatè ignoratam profiteretur. Quid
autem frequentius est orthodoxis patribus, quàm
admirari opus creatoris, quod omnipotenti &
immutabili vi benedictionis suæ in hoc præstet,
vt panis sit corpus Christi? Nisi breuitati nobis hîc
studendum esset, Iustini, Irenæi, Cypriani, pa-
tres Niceni concilij, Hilarij, Basiliij, Chrysofomi,
Nazianzeni, Ambrosij, Augustini, Cyrilli Ale-
xandrini, Theodoretî & plurimorum aliorum te-
stimonia ascriberemus, quibus mysterium prædi-
catur ab ordine & modo huius seculi diuersum,
quam nubem testium videre nolle, extremæ est
vel malitiæ, vel cæcitatîs.

CX.

Quod similiter negat Peucerus, præsentiam
carnis Christi per vsum panis in homine, hoc a-
deò insolens est, vt Calvinus & Beza ne videri
qui-

quidem voluerint illud sentire. Non enim tantum abolet Peucerus, quod docuit Concordiæ Formula Anni 36. porrecto & accepto pane porrigi & accipi corpus Christi, sed etiam id, quod Calvinianis gratissimum semper fuit, destruit: Panis est id, quo fit societas cum corpore Christi.

CXI.

Beza in Quæstionibus sibi non secusatq; Cinglius de inuenta margarita gratulatur, quòd primus omnium potuerit explicare Metonymiam auctam matalepsi in verbis Apostoli 1. Cor. 10. Explicatio ipsius ita sonat: Hic panis est sacramentale instrumentum nostræ cum Christi corpore societatis. En quòd præsentia carnis per vsum panis in homine statuatur à Beza.

CIXI

Si dixerit Peucerus, se non simpliciter, sed modis à se enumeratis intentum negare præsentiam Christi in homine per vsum panis, tum aut vsum hunc illi effecto planè subtrahet, aut inter physicum & hyperphysicum medium largietur. Si physicum tantum siue materiale negauerit, ne medium dare cogatur, palàm fit, quòd doceat, physico tantum huiusq; seculi modo vsum sacræ

Cænæ

Cænæ externum constare, eumq; causam esse
spiritualis præsentia Christi in homine. Quæ ve-
rò prophanitas vnquam fuerit, si hæc non est?

CXIII.

Sed abrumpamus illa *δυσφήματα*, quæ semper D.
Melanchthon abominatus fuit. Hoc tantum ad-
dimus, reuera illam esse mentem Bezæ & Pezelij,
neq; planè iniuria Peucerum stomochari aduer-
sus illos, quod phrasibus Lutheri à suo sensu alie-
nis vtantur & pallio sophistico atq; falso (sic e-
nim loquitur Peucerus) animas Christi se lucrari
posse putant. Quid cogitas Pezeli legens hæc de
moribus tuis ad decipiendum paratis tibi incul-
cata à sene, quem inter sanctos retulisti? Pluri-
mum inquit erratis & errare vos docet experien-
tia. Fascino erroris magis irretitis animas. Quid
hoc aliud est, quàm *πλέειν δι' ἐκκλησίας ἐπ' ὀνομαστικὴν λήσιν*?

CXIII.

Vtinam verò tandem verbis simplicibus &
apertis animum suum aperiret Pezelius & palam
profiteretur, se Lutheranae atq; Augustanae Con-
fessionis aduersarium agere, sicut nuper scriptum
editum est, Augustanam confessionem cum
Catechismis Lutheri & Schmalcadicis articulis
nominatim criminans & reprobans, ipsiusq; Pe-
zelij

zeliij testimonio nitens, in quo hæ voces leguntur: Nostrates impie contraq; Deum & honestatem egisse, Augustanam confessionem primam asserendo. Testamur serio & sonore, nos toto pectore ab his Sacramentarijs sententijs & pestiferis moliminibus abhorrere.

CXV.

Sed ad Bezam redeamus, qui κοινωνίαν corporis & sanguinis Christi intelligit in dicto Apostoli, 1. Cor. 10. de spirituali societate fidelium cum Christo, itaq; doctrinam supra à nobis explicatam multis perplexitatibus inuoluit.

CXVI.

Appellamus autem cordatorum iudicia, nec veremur Bezæ & Pezeliij sententias, modò eas ad dictamen conscientiarum suarum componere velint. Gratificamini nobis qui adestis, & intelligendo Bezam, stuporem nostrum superatis, nosq; in hoc errare ostendite, quod sic statuimus: Bezam omnem rationem sacramentalem excindere ex dicto Apostoli.

CXVII.

Ne enim nunc de nostra definitione agamus, quam focij Bezæ impunè aboleri existimant, dicimus excisum esse etiam Bezæ ipsius λόγον sacramentalem.

λόγος

CXVIII.

λογος ille erit significatio, oblatio, exhibitio, præbitio rei signatæ, corporis nimirum & sanguinis Domini. Hæc cum Calvinus & Beza dignis & indignis communia dicitent, nondum erunt illa spiritualis κοινωνία & societas.

CXIX.

Iam verò ambitiose contendit Beza, κοινωνία illam tantum esse fidelium. Deinde dicit, his verbis explicari, quod Christus dixit. Accipite, comedite: Hoc est corpus meum &c. Tantum igitur spirituales societatem sanciri in hoc sacramento necesse erit. Aut si repetita fuerit repudiata ratio sacramentalis quam Calvinus & Beza aliàs in verbis Christi agnouerunt; comedite; hoc est corpus meum &c. tum hoc lucrum nobis accrescet, quod Beza Paulinæ orationis depruator extiterit, quia ad modum suæ antecedentis eam exponere non patiatur, sed omisso eo, quod promptum est, ad aliud remotius contorqueat.

CXX.

Etsi verò in S. Cæna spirituales societatem cum Christo fidelibus obtingere nequaquam dubitamus, constanter tamen negamus in dicto Apostoli proposito κοινωνία corporis & sanguinis

F

Chri-

Christi de illa societate esse accipiendam, certi-
sumus, quòd ne possit quidem.

CXXI.

Inquirenti causas respondemus, quòd Calui-
nus & Beza nobis primam eamq; grauissimam
concesserint, cum sententiam Pauli fassi sint pen-
dere à verbis institutionis eorumq; sensum reti-
nere, cum nimirum dicitur: Benedixit, dedit, di-
xit: Accipite, comedite. Hoc est corpus me-
um &c. Tota verò hæc actio illis descripta verbis
discernitur perspicuè à spirituali fidelium sum-
ptione, cum Dominus inquit; Hoc facite in mei
commemorationem.

CXXII.

Secunda causa est, quòd institutionis tabula
non contineat antecedentem, quæ respondeat
explicationi Caluini aut Bezæ. etsi enim Domi-
nus ordinauit, vt panem, qui est corpus ipsius, co-
medamus, indeq; fideles vniamur Christo, tamen
non dixit immediate: Panis est vnio cum corpo-
re Christi.

CXXIII.

Expendatur hîc simul, quod Bezæ sententia
apertè corrumpat textum Pauli, quia prædicat
de elemento, quod Apostolus actioni attribuit.

Cauti-

Cautior fanè fuit Calvinus, qui sumptionem panis dixit esse *κοινωνία* illam spirituales. Verum & hoc violentum est, maximè cum non integra sacramentalis sumptio, quæ ordinatione Christi, est panis cum corpore & vini cum sanguine mystica perceptio, sed solummodò elementi externa participatio subiecti loco ponatur, cuius ad spirituales sumptionem non interueniente vnione panis & corporis Christi ad hoc ordinatâ, nulla nisi imaginaria minimeq; diuina est relatio, præsertim si quod ex institutione constat solummodo verum dixerimus.

CXXIII.

Tertia causa est, quòd status Apostoli dignis & indignis communem *κοινωνία* postulet. Negat enim Paulus, quòd omnes spiritualis cibi & potus participes placeant Deo.

CXXV.

Quarta causa, quòd subsequens versus 17. eundem statum spectet, quia corpus Ecclesiæ de vno pane participantis appellatur, quod merè fidelibus apud Corinthios non constabat.

CXXVI.

Quinta causa, quòd rursus versus 18. adduci

tur exemplum Israëlis secundum carnem, qui non est tantum fidelium. Rom. II.

CXXVII.

Sexta caussa, quòd Apostolus negationem fidelium, cuius *παρὰσκευήν* versu 18. statuerat, versu 21. apertè ponit & pro statu concludit, quosdam illorum communicantium salutari participatione non gaudere.

CXXVIII.

Septima caussa, quòd Caluini & Bezae sententia de spiritali videlicet consociatione cum Christo, non solùm à proposito Apostoli deflectat, sed etiam illud euertat. Si enim sumptio panis sacri communiter erit societas fidelium cum Christo, vicit opinio Corinthiorum & tamen illos reprehendit Apostolus.

CXXIX.

Speramus igitur piorum suffragia, quibus decernatur, necesse esse, vt in dicto Apostoli *κοινωνία* accipiamus, quæ sit promiscui cætus Ecclesiæ, non verò spiritualement illam fidelibus propriam.

CXXX.

Sicut enim Apostolus sumptionem escæ & potus spiritualis in priore huius capituli parte ijs attribuit, quos Deus non approbasset, ita hoc loco

κοινωνία

non uic corporis & sanguinis Christi illis concedit,
quibus salutarem communionem seu spiritua-
lem societatem cum Christo tribuere nefas fit.

CXXXI.

Ne verò aduersarij sibi blandiantur, necessa-
riò negatum per Hypothesin reponamus, & re-
dibit disputatio illuc vt modus definiatur, quo
panis, vt Beza uult, vel panis communicatio, vt
Caluinus, fit societas spiritualis cum Christo.

CXXXII.

Si determinatus fuerit modus, quæretur, quo
iudicio S. scripturæ prodatur, quod ingenuè infi-
ciamur nobis vnquam apparuisse.

CXXXIII.

Si absconditus manserit, vt credidit Antiqui-
tas orthodoxa & cum hac faciens Lutherus, quis
tropus accommodabitur ignoto? In qua voce se-
dem habebit? Hic Rhodus, hic saltent Beza,
Pezelius, Peucerus, Piscator.

CXXXIIII.

De spiritali verò *non uic* fidelium cum corpo-
re Christi, peculiari disputatione, si Deus volue-
rit agemus, idq; euincemus, quod omnia refugia
aduersariorum, mysterij illius religione vel clau-
dantur vel dissipentur.

2 1 W E 3

Si enim

CXXXV.

Si enim fideles non solum spiritus, sed etiam
carnis & sanguinis Christi participes fiunt, idq; re-
fragante natura humana inexplicabili mysterio
traditur saluandum, sicut hoc extorsit Caluino &
Bezæ vis veritatis, nulla certè ex conditione hu-
mani corporis & natura sacramentorum resul-
tabit impossibilitas, quæ Christum in cælo ma-
nentem impediatur carnem & sanguinem suum in
terris vbi, quando & quoties voluerit, exhibere
& dispensare.

CXXXVI.

D. Philippus videns Caluinum in spirituali
societate fidelium cum Christo constrictum te-
neri, spe lucrandi hominem illam partem mul-
tum vrsit. Hoc Pezelius ita interpretatur, quasi as-
serto vno sit negatum alterum. De qua iniquita-
te aucta proteruia criminandi & reijciendi Augu-
stanam Confessionem imperatori Carolo V. ex-
hibitam, pium fuerit monere Ecclesiam. Tu ve-
rò Domine Iesu, cui nos nostra consecramus,
assere fidem verbo tuo accensam, in
qua tua vertitur æterna
gloria.

F I N I S.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be in a historical script, possibly Latin or German.



1/1935 a

ULB Halle 3
001 541 250



5b







B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO IIII.
DE

COENA DOMINI
ET POSTERIOR

ex I. Cor. 10. cap.

IN QVA CHRISTO AVSPICE,
præsides DANIELE HOFMANNO
S. Th. D. & professore, respon-
debit

M. CASPARVS PFAFRADIVS,
in Academia Iulia Th. professor,

23. Augustianno 1593.



HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XCIII.

6.
28

VI